



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

110. Ingens numerus bapt. in Tunchino.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

se sapius rediret. Actis Deo, & Regi gratiis Buzomius, possessionem statim adit redditæ libertatis, dies triginta sex concionatur ad aulam, & populum, magno ethnicorum ad Christum accessu, in quibus Mandarinus bello clarissimus, & alij quidam ex regio sanguine. Post hæc in Iaponum præfectura cum Rex cuidam Dominico rebellionis fraternæ conscio subrogasset Rocoben nescio quem aut desertorem aut ethnicum, eiectione Patrum insignire hic voluit præfecturæ suæ primordia; prætexens Iapones deinceps aut idololatrias, aut apostatas à fide, non frequentaturos commercijs locum ubi essent Magistri religionis eivata, quos præcipuè antehac requirebant. Egit tam fortiter, & cautè Buzomius cum Præfecto externis, Mandarinis intimè erga se affecto, ut Christianorum hostem sacrilegum Magistratu Rex abdicaret, templum Faifi iuberet aperiri, quod homo nequissimus clauserat, & Patres ad sua in auxilium Iaponum repetere munera, sic prosperè hoc anno Buzomij opera renascens Cocincinensis Ecclesia se extulit, quæ per eum ante annos viginti lucem acceperat. Cuius hic finem historie pono, quod quinquennium subsequens ante secularem Societatis annum nihil quod scribam suppeditet.

10.  
Ingens numerus bapt.  
in Tunchino.

117.  
Catechisti in Tunchino  
quales fuerunt.

Plenioribus velis ferebatur Christiana res Tunchinensis cuius gloriosos progressus ab anno seculi trigesimo quarto in consequentes tres continuato filo ducam, in quibus nihil grandius quàm quod quatuor his annis regenerata sunt in Christo ethnicorum triginta quatuor millia sexcenti quadraginta quinque, futuri multò plures nisi fames, & Regis inconstans animus, & priuaræ quædam à Mandarinis diuexationes obstitissent. Lucris tamen adedè numerosis iacubere non nisi quatuor, quinque interdum ex Patribus, quorum semper aliquis, aut morbo languens, aut linguæ ignarus, commodare socijs operam non valebat. Paucitatem hanc supplebant Catechistæ numero quadraginta, ætate, ac viribus integris, quos se gratuito Ecclesiæ illius ministerio, votis solennibus dicasse scripsimus: quorum erat in iis exploratio pietas, & scientia notior, Thaij, hoc est Magistri creabantur, vulgabantur eorum nomina in sacris ædibus, & proponebantur cubitalibus literis è regione altarium, ut se in oculis, documento se omnium viuere meminissent; noui quoque subinde, formandis iis ritus excogitabantur, nouæ perficiendis leges, ut essent religiosi modestia, pudore, demissione sui, & piorum sermonum assiduitate quàm simillimi, quam etiam ob rem peculiaris vestiendi modus eos à vulgo secernebat, nec in eo solùm ministerij illorum ratio versabatur, ut verbum Dei quocumque pateret aditus spretis incommodis circumferrent; sed iugo & carceri; exilijs & probrijs læti obuiam irent, fugebátque illos ad hanc animi generositatem, qui ut essent subsidio Patribus eos excitat.

Patres huc illuc perpetuo in quæstum animorum discurrebant. De lustrata hoc anno Engheanensi Prouincia, Rurum in oppidum Majorica rediit, diues ethnicis centum octoginta tribus supra quatuor millia,